

M. TULLI CICERONIS
DE DIVINATIONE

LIBER PRIMUS

Vetus opinio est iam usque ab heroicis ducta tem- 1
poribus eaque et p. Romani et omnium gentium firmata 1
consensu, versari quandam inter homines divinatio-
nem, quam Graeci *μαντικήν* appellant id est prae-
5 sensionem et scientiam rerum futurarum. magnifica
quaedam res et salutaris, si modo est ulla, qua-
que proxime ad deorum vim natura mortalis possit
accedere. itaque ut alia nos melius multa quam Graeci,
sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis,
10 Graeci ut Plato interpretatur a furore duxerunt. Gen- 2
tem quidem nullam video neque tam humanam atque
doctam neque tam inmanem tamque barbaram, quae
non significari futura et a quibusdam intellegi prae-
dicique posse censeat. principio Assyrii, ut ab ultumis
15 auctoritatem repetam, propter planitiam magnitu-
dinemque regionum quas incolebant, cum caelum ex
omni parte patens atque apertum intuerentur, tra-
iectiones motusque stellarum observitaverunt, quibus
notatis quid cuique significaretur memoriae prodide-
20 runt. qua in natione Chaldaei non ex artis sed ex